



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opusculvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

XLVI. S. Sixtvs. III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

## XLVI.

Acccxxxii

S. SIXTVS. III.

**S**IXTVS tertius, natione Romanus, ex patre Sixto, sedit annos 8. menses 8. dies 19. Hic ordinavit Episcopos 52. presbyteros 18. diaconos 12. Hic quia Epiphanium quandam nobilem, quem Bassus exconsul ingenuitate & prædiis propriis priuare nitebatur, apud Valentinianum Augustum adeo iuuit, ut vtrumque eius munitus chirographo retineret, à p̄dicto Basso & Mariniano, cui prædictus Pontifex præmium negauerat, quod Crescentius in Sicilia Romanæ Ecclesiæ dederat, apud Augustum Valentinianum accusatus, quod Chrysogonam quandam consecratam stuprasset: & tantum inde Augustus & mater eius accensi sunt, vt à supradieti Pontificis communione & magna pars populi cum eis se suspen-derent. Quapropter Valentinianus Augustus prædicti Pontificis auctoritate Synodus congregari iussit, in qua, licet aliter euadere posset, fugere volēs suspicionem, coram quinquaginta sex Episco-pis se expurgauit. Nec ideo se expurgauit, sed vt aliis per hoc, qui noluerint, formam & exemplum daret, cum ex scripto & ordine Synodali constet illum debere crimen probare, qui obiicit, & qui non probanda detulerit, iacturam se sustinere intelligat. Bassus verò à prædicta Synodo est damnatus, & à Valentiniano Augusto præscriptus.

<sup>a</sup> epist. I.

Hic Orientalibus Episcopis direxit<sup>a</sup> epistolam, in qua eis re-scribit, à quo & qualiter prædictum iurgium contra eum sit excita-tū, & quo & quali fine sit terminatum, adiiciens in eadem epistola multa, quibus Episcopi de reliquo in uniti iniustas oppositiones, & malignorum accusationes securè reiicere valeant: quæ idcirco hic non inserimus, quia superius eadem persæpè adnotata esse memi-nimus. Prædicti Papæ temporibus erat Hierosolymæ quidam Epi-scopus, nomine Polychronius, qui imprudentia senectutis in su-perbiā ductus se vniuersalem Pontificem esse affirmabat, qui cle-ricos de quacunque prouincia ad se venientes inconsideratè, & non sine precio Leuitas & sacerdotes ordinabat. nec Episcopum quemlibet absque digno munere consecrabat: & si ad Ecclesiam illius regionis rogaretur consecrandam non dabat auctoritatis suæ faculam, nisi decem auri libras accepisset in remunerationem. Unde Sixtus Papa Romæ Synodum 8. Episcoporum congregauit, & Euphemium Episcopum, qui Polychronium de prædictis infama-uerat,

Vide tom. 1.  
Concil. pag.  
705.

uerat, ut eadem coram omnibus fateretur, introduxit. Quo facto, tres Episcopos, totidemque presbyteros, & duos diaconos electos, Hierosolymam miserunt. Qui congregatis illius regionis\* Episcopis, & introductis 40. testibus, qui iuxta Euphemij accusationem omnia comprobarunt vera esse de Polychronio, ipsum Polychronium damnarunt, & Euphemium etiam, ideo, quia ipse Pontificem suum accusauerat, qui eum consecrauerat. Sed Polychronius postea propter compassionem & eleemosynam, quam ciuibus suis obfessis erogauerat, reuocatus & restitutus est à Sixto in pristinam sedem.

## XLVII.

S. LEO. I.

A. ccccxl.

**L**eo natione Tuscus, ex patre Quintiano, sedit annos 21. mensim 1. dies 13. Hic ordinavit\* 195. Episcopos, presbyteros autem 81. diaconos 31. Hic feliciter obiit 4. Idus April. Hic a epistolam destinauit vniuersis Episcopis per Campaniam, & in vniuersis prouinciis constitutis, in qua multa prohibuit, quæ & antecessores suos prohibuisse saepe supra meminimus. Videlicet præcepit, ne illi, qui à Dominis suis libertatem consequi minimè potuerunt, & qui etiam originali alicui conditioni alligati sunt, ad sacerdotii fastigium non prouehantur, nisi forte eorum petitio aut voluntas acceperit, qui aliquid in eos sibi vendicant potestatis. Iubet etiam Apostolicæ sedis auctoritate ab Ecclesiasticis officiis, & sacerdotali nomine arceri, si qui ex viduarum maritis, aut quibus fuerint numerosa coniugia sunt admissi. Decernit acriter vindicandum esse in eos clericos, qui usuriam pecuniam exercent, & in fœnore distescere querunt: commonens etiam illud, vt sicut non suo, ita non ex alieno nomine aliquis clericorum eiicere fœnus attinet, quia indecens est crimen suum commodis alienis impendere.

ITEM in alia<sup>b</sup>, quam vniuersis Italiæ Episcopis scripsit, ut diligenter Manichæos studeant circumquaque inuestigare, & à plebis sibi commissis separare mandauit. Scripsit etiam omnibus Episcopis<sup>c</sup> per Siciliam constitutis epistolam, in qua arguit eos, qui in sacramento illo, quod inter cætera Ecclesiæ sacramenta principale est, id est, in Baptismo à Romanæ Ecclesiæ consuetudine discrepabant, ita vt baptismi sacramentum numerosius in die Epiphaniæ, quam in Paschali tempore celebrarent, nullam differentiam credentes esse inter diem, qua Christus adoratur à Magis, &

H diem,